

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus

Continens De Philosophia Volumen Secundum

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1583

In M Tvillii Ciceronis De Legibvs Librvm I. Commentarius Aldi Mannuccij.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770553](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-770553)



I N
M. TVLLII. CICERONIS
DE LEGIBVS
LIBRVM . I.

Commentarius Aldi Mannuccij.



CICERO



LVOVS quidem ille, & haec Arpinatium quercus agnoscitur, saepe a me lectus in Mario, si manet illa quercus, haec est profecto. euenim est sane uetus. **QVINCTVS.** Manet uero, Attice nosser, & semper manebit: fata est enim ingenio: nullius autem agricolae cultu stirps tam diuturna, quam poetae uersu, seminari potest. **Att.** Quo tandem modo, Quinte: aut quare est istud, quod poetae serunt? mihi enim uideris, fratrem laudando, suffragari tibi. **Q.** Sit ita sane: ueruntamen, dum Latinae loquentur litterae, quercus huic loco non deerit, quae Mariana dicatur: eaque, ut ait Scaeuola de fratris mei Mario, Caneset faeclis innumerabilibus. nisi forte Athenae tuae sempiternam in arce oleam tenere potuerunt: aut, quod Homericus Ulysses, Deli se proceram, & teneram palmam uidisse, dixit, hodie monstrant eandem. multaq; alia multis locis diutius commemoratione manent, quam natura stare potuerunt. quare glandifera illa quercus, ex qua olim euolauit Nuncia fulua Iouis, miranda uisa figura, nunc sit haec: sed, cum eam tempestas, uetustas ue consumpserit, tamen erit his in locis, quam Marianam quercum uocent. **Att.** Non dubito id quidem: sed haec iam non ex te, Quinte, quaero, uerum ex ipso poeta, tui ne uersus hanc quercum seuerint, an ita factum, de Mario, ut scribis, accepis. **MARCVS.** Respondebo tibi equidem, sed non ante, quam mihi tu ipse responderis, Attice: certe: non longe a tuis aedibus inambulans, post excessum suum Romulus Proculo Iulio dixerit, se deum esse, & Quirinum uocari, templumq; sibi dedicari in eo loco ins-

serit; & uerum ne sit, Athenis, non longe item a tua illa antiqua domo, Oribythiam Aquilo sustulerit. sic enim est traditum. **Att.** Quorsum tandem, aut cur ista quaeris? **M.** Nihil sane, nisi ne nimis diligenter inquiras in ea, quae isto modo memoriae sint prodita. **Att.** Atqui multa quaeruntur in Mario, ficta ne, an uera sint, & a non nullis, quod & in recenti memoria, & in Arpinati homine: sed ueritas a te postulatur. **M.** Et mehercule ego me cupio non mendacem putari: sed tamen isti, Tite nosser, faciunt imperite, qui in isto opusculo non ut a poeta, sed ut a teste ueritatem exigant. nec dubito, quin ijdem, & cum Egeria collocutum Numam, & ab aquila Tarquinio apicem impositum putent. **Q.** Intellego te, frater, alias in historia leges obseruandas putare, alias in poemate. **M.** Quippe, cum illa ad ueritatem, Quinte, referatur, in hoc ad delectationem pleraque: quamquam & apud Herodotum, patrem historiae, & apud Theopompum sunt innumerabiles fabulae. **Att.** Teneo, quam optabam occasionem, neque omittam. **M.** Quam tandem, Tite? **Att.** Postulatur a te iam diu, uel flagitatur potius historia. sic enim putant, te illam tractante, effici posse, ut in hoc etiam genere Graeciae nihil cedamus. atque, ut audias, quid ego ipse sentiam, non solum mihi uideris eorum studijs, qui tuis litteris delectantur, sed etiam patriae debere hoc munus; ut ea, quae salua per te est, per te eundem sit ornata. abest enim historia litteris nostris, ut & ipse intellego, & ex te persaepe audio. potes autem tu profecto satisfacere in ea; quippe cum sit opus, ut tibi quidem uideri solet; unum hoc oratorium maxime. Quamobrem aggredere, quae sumus, & sume ad hanc rem tempus, quae est a nostris hominibus adhuc aut ignorata, aut relictata. nam, post annales pontificum maximorum, quibus nihil potest esse incundius, si aut ad Fabium, aut ad eum, qui



tibi semper in ore est, Catonem, aut ad Pisonem, aut ad Fannium, aut ad Venoniam uenias: quamquam ex his alius alio plus habet uirium; tamen quid tam exsile, quam isti omnes? Fannio autem aetate coniunctus Antipater paulo inflauit uehementius, habuitque uires agrestes ille quidem, atque hor-

ridas, sine nitore, ac palaestra; sed tamen admodum reliquos potuit, ut accuratius scriberent. Ecce autem successere huic belli, Clodius, Asellio: nihil ad Coelium, sed potius ad antiquorum languorem, & inscitiam.

SINO EXPLANATIO VT M



LUCVS quidem ille? Ad dialogum Cicero praeter morem suum descendit absque proemio. Initium autem sumit ex loci adiunctis, inducens Atticum antiquitatis, & historiae studiosissimum uirum, qui tum primum in Arpinatem agrum uenerit (ut ex lib. 1. conijcitur) oculis eum lucum, & quercum agnoscere, de quibus saepe legerat in Ciceronis poemate, cuius inscriptio erat Marius, siquidem in eo Marij popularis, & municipis sui res gestas cecinerat, adhuc adolescens. Is liber paulo post sic citatur: De fratris mei Mario. Et, Atqui multa quaeruntur in Mario. Et I. de Diuinat. Quod apud te est in Mario. **LUCUS:** Luci deorum templa praecipis temporibus fuisse: Scribit enim Tacitus, Germanos ueteres alia nulla deorum templa habuisse, quam Lucos, nemoraque deorum suorum nominibus appellata. Notat & Seruius Manes, & heroum animas, qui Lares uitales dicerentur, lucos tenere. Hinc & Virgil.

Nulli certa domus, lucis habitamus opacis.

Et in vi. de Fast. Quid.

Adiacet antiquus Tiberino lucus Helernae,

Pontifices illuc nunc quoque sacra ferunt.

Inde fata est nympha, Cranam dixere priores, &c.

QUERCUS & fortitudinis elogium uiderat, sicut & Robur, & id genus glandiferarum arborum, quae temporis iniuriae diutissime resistunt. Hinc de Illice Plinius lib. xv. l. i. cap. 44. Vetusior urbe in Vaticano Illex, in qua titulus aereis litteris Etruscis, religione arborem iam tum dignam fuisse significat. E roboribus natos primos homines fabulati sunt poetae, & glandibus pastos: quae tamen sibi dicatae nunc sunt. **ET ENIM** & Ratio propositionis ex adiunctis. **MANET** & Amphibologia est: Manet enim quercus fama, non natura. **SEMPER MANEBIT** & semper existet, quod autem semper existit, a Graecis hoc signo ☿ notatur, *δι* exprimitur. **FRATREM LAUDANDO SUFFRAGARI TIBI**, Ad poeticam facultatem satis promptus, Cicero Quinto tamen fratri priores partes tribuit in epistola uicesima tertij libri, & sexdecim diebus quattuor tragoedias ab eo absoluitas dicit eiusdem libri epist. uicesima secunda. Ergo, dum Quintus Marcus poeticae nomine laudat, se ipsum quoque laudat, qui poeta quoque sit, & aeternitate donari putet ea, de quibus poetae memorant. **QUAE MARIANA DICATUR**: Haec paulo post describitur glandifera, ex qua olim euolauit Nuncia fulua Iouis miranda uisa figura. Quernum igitur truncum fuisse, hinc satis constat, e quo Aquila morfu serpentis fauciatia fuit, dum Marius augurium captaret, ut in i. de Diuinat.

Hic Iouis alutoni subito pennata fatelles

Arboris e trunco serpentis faucia morfu, &c.

An igitur & quercus ea fuit, in qua aquila septem pullos peperit, de quibus in Marij uita Plutarchus? At Plutarchus nihil de quercu loquitur. **CANESCET** & durabit, uersatio. **NISI FORTE** & Similium collatio, cum ironia. Sic Athenis Olea, Deli palma permanit fama, non natura. **ATHENAE TUAE** & De Pomponio Attico ita Cicero in principio lib. v. de Fin. Hic ego, Pomponius quidem, inquam, noster iocari uidetur; & fortasse suo iure ita enim Athenis se collocauit, ut sit paene unus ex Atticis, ut id etiam in uita Attici. **SEMPITERNAM OLEAM** & Eam intellige, quam in Acropoli cum laetam, & uirentem, tum fructiferam Minerua edidit, & in coronam capitis intorquens omnium calculo suo nomine Athenas nuncupauit. sic enim Plinius lib. xv. l. i. cap. 44. Athenis olea durare creditur, in certamine edita a Minerua. In Acropoli (arce) nominant ueteres Regum tabernaculum, quod munitionis, securitatisque gratia (summis urbium cacuminibus sit exstructum) ante Mineruae simulacrum, quod e caelo delapsum fama tenet, propendebat lychnus aureus Callimachi opus. Eum ubi oleo impleissent, eundem anno circumacto diem obseruabant, nec interim deficiebat oleum, etiam si interdiu noctuque colluceret lychnus. Lino carpasio constabat Ellychnium, in id enim nullum omnino ius ignis. In Academiam translatae fuisse oleas, memorat Aristoph. *ἄλλ' εἰς Ἀκαδημίαν κειτῶν, ὑπὸ ταῖς μορφαῖς ἀπόθεξε*. Oleam, si lambendo capra lingua contigerit, depauperitque primo geminatu, sterilefcere, auctor est Varro. Oleae in Syria, & aliubi baccas ferunt uuae modo congestas ubertate foli. Fabulantur, Latonam Ioue grauidam, in flu illius ab Aquilone delatam in Ortygiam insulam nobilem, ibi peperisse Dianam, & Apollinem, dum oleam palma teneret. Quidam tamen dicunt, Latonam, in Ortygia, ut feliciter pareret, manu altera palmam, altera oliuam apprehendisse. Insulamque, quae post partum Delos est dicta, adeo firmatam, ut numquam motus aliquos passa sit, ideoque Delium oraculum saxo uetusto fundatum Virgilium scripsisse. **HOMERICVS VLYSSES** & Locus est Odyss. de ε. Nausicaa uirgine, cuius pulchritudinem similitudine Palmae Deliae Vlyxes collaudat.

Δύω δὴ πότε τοῖον Ἀπὸλλωνος παρὰ Ἑρμῆος
φείνοικας νέον ἄρτος ἀνερχόμενον ἐνόησα.

DELT

DELI proceram, & teneram palmam? Plinius lib. xvi. cap. 44. Palma, inquit, Deli ab eiusdem Apollinis aetate conspicitur. Idem lib. xvi. cap. 40. Palma est mollis. Et lib. xii. cap. 4. Lucia incluta est, uel magis palmis. **QVARE glandifera?** Definitur quercus illa Mariana suis adiunctis, quod glandifera sit. **NVNCTIA?** Periphrasis est aquilae. De aquila ita Plinius lib. x. cap. 4. Romanis eam legionibus C. Marius secundo consulatu suo proprie dicauit. Et lib. x. cap. 111. Lapis aetites, quem aliqui dixere gagatem ad multa remedia utilis nihil igne deperdens. **Ex ipso poeta?** nimirum M. Cicerone. **AN ita factum?** An ex historiae fide scripseris de Mario. **CERTE, dixerit?** certum ne est, dixerit. **NON longe a tuis aedibus?** Titus Pomponius Atticus in Quirinali monte domum habuit Pamphilianam hereditate sibi relictam a Quinto Caecilio auunculo, non aedificio amenam, sed silua, ut scribit Cornelius Nepos. **POS: excessum suum Romulus?** Romulus cum ad Capreae paludem exercitum recenseret, subita cohorta tempestat, tam denso opertus est nimbo, ut conspectus eius concioni eriperetur. Itaque hanc occasionem nacti Patres Regem interemere. **Vi- de Liuium lib. 1. ab. v. c. TUA illa antiqua domo?** Pomponij Attici antiquam domum Athenae ad Ilium fluiuium fuisse conijcimus, cum ad Ilium Orithyia uirgo Erethei regis Athenientium filia ab Aquilone, siue Borea uento raptam sit in Thraciam; ex qua Zeten, Calain, & Cleopatram sustulisse dicitur. Socrates in principio Phaedri fabulam interpretatur, quod Boreas uentus Orithyiam uirginem impetu sui flatus in fluum per- cepit. **NIHIL sane?** significat tam ueram esse Marianam quercum, quam uera sit *ἡ πόλις* Romuli, & raptus Orithyiae; fabulosa nempe, & ficta esse omnia. **Et a nonnullis?** Quo diligentius hunc locum perpendo, eo magis inesse mendam suspicor. **QVOD & in recenti memoria?** quia extant, qui de eo testi- monium perhibere possunt. **Et in Arpinati homine?** qui in paruo municipio natus facile possit cognosci. **VE- RITAS a te postulat?** quippe qui eiusdem es municipij, ac de eo scripseris. **ISTO opusculo?** in Mario. **SED ut a teste?** Alius est poeta, alius testis ueritatis. **NEC dubito?** Paria signenta rursus opponuntur. De Egeria sic Liuius lib. 1. Lucus erat, quem medium ex opaco specu perennis rigabat aqua: quo quia se saepe Numa sine arbitris, uelut ad congressum deae, inferebat, Camoenis eum lacum sacrauit, quod earum sibi con- silia cum coniuge sua Aegeria essent. Aegeriam autem colebant Romanae matronae, quod egerendo par- tum praesert, sicuti & Fluoniam, quod sanguinis fluorem in partu susteret. **TARQUINIO?** Tarquimo Pri- sco. **Vide Liuum lib. 1. APICEM?** Pileum. Apex est summitas pilei, qualis erat in flammis pileo uirga la- nata, sed ex parte totum pileum significat. Ita Valerius lib. 1. de seruata religione. At Sulpicio inter sacrifi- candum e capite apex prolapsus ei sacerdotium abstulit. **QUIPPE,** & ita profecto. **PATREM historiae?** pri- marium historicum, qui uberius, & ornatus, quam superiores dixerit. **TENEO quam optabam?** Ex loci proximi occasione Atticus historiam exigit, quasi debitam. **In hoc genere?** historico. **ABEST enim?** Ratio finis, nempe laus patriae. **POTES?** quia orator es. **ANNALES pontificum maximorum?** Romae pontifices maximi historiam scribebant, ut apud Hebraeos, prophetae; apud Persas, Magi; apud Aegyptios sacerdotes. **IVCUNDVS?** In cognitione antiquitatis iucunditas. **FABIVM?** Pictorem, litterarum, & antiquitatis bene peritum, ut est in Bruto. **CATONEM?** qui libros Originum scripserat, ut in Bruto. **PISONEM?** qui annales sane ex libris scriptos reliquit. Fuit in Bruto. **FANNIVM?** annalium scriptorem, de quo in Bruto. **VENO- NIVM?** de quo Cicero lib. xii. ad Atticum, At moleste fero Venonij historiam me non habere. **QVOD tam exsile?** ratio, quod absit historia Latinis litteris. **ANTIPATER?** de eo in Bruto, Laelius Antipater scriptor (quem admodum uidetis) fuit, ut temporibus illis, luculentum, iuris ualde peritus, multotum etiam ut L. Crassi magister. **INFLAVIT?** maiorem uocis sonum addidit. Metaphora a tibicinibus. Cicero in Acad. Similac inflauit tibicen, a perito carmen agnoscitur. **VIRES agrestes?** Hac metaphora innuit Antipatrem bonis quidem sententijs usum, sed inornatis. **Ac palaestras?** ac sine contentione. **ASELLIO?** Sempiternus, Asellio, qui sub Aemiliano Scipione tribunus militum ad Numantiam fuit, resque eas, quibus gerendis ipse interfuit, conscripsit. **Vide Gellium lib. 11.**

C I C E R O

NAM, quid Acrum memorem? cuius loquacitas habet aliquid argutiarum, nec id tamen ex illa erudita Graecorum copia, sed ex librariolis Latinis: in orationibus autem multus, & ineptus, datio summa impudentia. Sisenna, eius amicus, omnes, adhuc nostros scriptores, nisi forte qui non dum ediderunt, de quibus existimare non possumus, facile superauit. is tamen neque orator in numero uestro unquam est habitus, & in historia puerile quiddam confectatur: ut unum Clitarabum, neque quemquam praeterea de Graecis, legisse uideatur, cum tamen uelle dumtaxat imitari: quem si assequi posset, ali- quantum ab optimo tamen abesset. Quare tuum est munus: hoc a te expectatur, nisi quid Quinto uide- tur secus. **Q. Tibi uero nihil: & saepe de isto collo-**

cuti sumus: sed est quaedam inter nos parua dissen- sio. A. Quae tandem? Q. A quibus temporibus scri- bendi capiat exordium, ego enim, ab ultimis, censeo; quoniam illa sic scripta sunt, ut ne legantur qui- dem: ipse autem aequalem aetatis suae memoriam deposcit: ut ea complectatur, quibus ipse interfuit. Att. Ego uero huic potius assentior. sunt enim ma- ximae res in hac memoria, atque aetate nostra, tum autem, hominis amicissimi, Cn. Pompeij laudes illu- strabit. incurret etiam in illum memorabilem annu- suum. quae ab isto malo praedicari, quam, ut aiunt, de Remo, & Romulo. M. Intellego equidem, a me- istum laborem iam diu postulari, Attice: quem non recusarem, si mihi ullum tribueretur uacuum tem- pus, & liberum. neque enim occupata opera, neque impedi-

impedito animo res tanta suscipi potest. utrumque opus est, & cura uacare, & negotio. Att. Quid? ad cetera, quae scripsisti plura, quam quisquam nostris, quod tibi tandem tempus uacuum fuit concessum? M. Subseciua quaedam tempora incurrunt, quae ego perire non patior: ut, si qui dies ad rusticandum dati sint, ad eorum numerum accommodentur, quae scribimus. Historia uero nec institui potest, nisi praeparato otio, nec exiguo tempore absolui: & ego animi pendere soleo, cum semel quid orsus traducor alio: & que tam facile interrupta contexo, quam absumo instituta. Att. Legationem aliquam uimur ista oratio postulas, aut eiusmodi quampiam legationem liberam, atque otiosam. M. Ego ueracitatis potius uacationi confidebam: cum praesertim non recusarem, quo minus more patrio sedens in folio consulentibus responderem; senectutisq. non inertis grato, atque honesto fungerer munere. Sic enim mihi liceret & isti rei, quam desideras, & multis uberioribus, atque maioribus operae quantum uellem dare. Att. At qui uereor, ne istam causam nemo noscat, tibiq. semper dicendum sit, & eo magis, quod te ipse mutasti, & aliud dicendi instituisi genus: ut, quemadmodum Roscius, familiaris tuus, in senectute numeros in cantu ceciderat, ipsasq. cardiores fecerat tibias; sic tu a contentionibus, quibus summis uti solebas, quotidie relaxes aliquid: ut iam oratio tua non multum a philosophorum lenitate absit. quod sustinere cum uel summa senectus posse uideatur, nullam tibi a causis uacationem uideo dari. Q. At mehercule ego arbitrabar posse id populo nostro probari, si te ad ius respondendum dedisses. quamobrem, cum placebit, experiendum tibi id censeo. M. Siquidem, Quinte, nullum esset in experiundo periculum. sed uereor, ne, dum minuere uelim laborem, augeam; atque ad illam causarum operam, ad quam ego numquam, nisi paratus, & meditatus,

accedo, adiungatur haec iuris interpretatio; quae non tam mihi molesta sit propter laborem, quam quod dicendi cogitationem auferat, sine qua ad nullam maiorem unquam causam sum ausus accedere. Att. Quin igitur ista ipsa explicas nobis his subseciuis, ut ais, temporibus, & conscribis de iure civili subtilius, quam ceteri? nam a primo tempore actatis iuri studere te memini, cum ipse etiam ad Scaeuolum uentitarem: neque unquam mihi uisus es ita te ad dicendum dedisse, ut ius civile contemneres. M. In longum sermonem me uocas, Attice: quem tamen, nisi Quintus aliud quid nos agere mauult, suscipiam; & quoniam uacui sumus, dicam. Q. Ego uero libenter audierim. quid enim agam potius? aut in quo melius hunc consumam diem? M. Quin igitur ad illa spatia nostra, sedesq. pergitur, ubi cum satis erit ambulatum, requiescemus? nec profecto nobis delectatio deerit, aliud ex alio uacantibus. Att. Nos uero, & hac quidem adire, si placet, per ripam, & umbram. sed iam ordire explicare, quaeso, de iure civili quid sentias. M. Ego ne? summos fuisse in ciuitate nostra uiros, quid interpretari populo, & respondere soliti sunt; sed eos magna profectos, in paruis esse uersatos. quid enim est tantum, quantum ius ciuitatis? quid autem tam exiguum, quam est munus hoc eorum, qui consuluntur? quam est populo necessarium? Nec uero eos, qui ei muneri praefuerunt, uniuersi iuris fuisse expertes existimo: sed hoc, civile quod uocant, eatenus exercuerunt, quod populo praestare uoluerunt: id autem incognitum, est minus necessarium. Quamobrem, quo me uocas? aut quid hortaris? ut libellos conficiam de fillicidiorum, ac de pariterum iure? aut, ut stipulationum, & iudiciorum formulas componam? quae & scripta a multis sunt diligenter, & sunt humiliora, quam illa, quae a uobis expectari puto.

EXPLANATIO

NAM quid *Acrum memorem?* Sigonius in Scholijs, quibus Fragmenta Ciceronis, ab ipso diligentissime collecta, illustrauit, pro, *Acrum*, legendum existimat, *Maetum*: ut sit C. Licinius Macer, cuius in historia Liiij mentio creberrima, quae me ratio, & quia ex *Acrum* in *Maetum* facillima mutatio, facile persuasit, ut assentiret doctissimo uiro, cuius auctoritas, uel sine ulla ratione, plurimi est apud me ponderis. Haec Paullus pater. *LIBRARIOLIS Latinis*? historicorum Latinorum exsilitate, & ueluti infantia. *DACIO summa impudentia.*? Si legas, In mendacio, ut eidem Sigonio placet; patebit sententia, & sane mendacij *Maetum* Liius lib. vii. uidetur arguere. Haec Paullus pater. Verum, cum hic de ingenio, non de fide historicorum, agat Cicero, mihi magis arridet, quod in uetere libro legitur, *Multus*, & ineptus, ad summam imprudentiam. *SISENNA*? historicus fuit, de quo in Bruto. *EDIDERUNT*? publicauerunt. *CLITARCHVM*? Clitarchus Alexandri comes in Asiam fuit, & gestorum eius scriptor, cuius tamen probatur ingenium, fides infamatur, ut ait Quintilianus lib. x. cap. i. De eo Cicero ix. epist. ii. famil. ita scribit: Quo loco, ut saepe ex te audiui, Clitarchus tibi narrauit, Darium ab Alexandro esse superatum. *QVAERE*? Absoluta inductione Latinorum historicorum, concluditur historiae postulatio *Ab ultimis*? a fundatione urbis, uel eiusmodi alijs longissime a nobis distantibus. *AEQVALEM*? coaeuam. *ILLVM annum*? Periphrasis est consularis Ciceroniani, de quo tamen Atticus, & Cicero commentarios iam scripserant, ut est prima epistola secundi ad Atticum. *QVAM de Remo, & Romulo.*? quam de longe a nobis distantibus. *NEQVE enim*? Ratio, cur postulatam historiam recuset scribere. *QVID*? Obiectio. *SVBSECIVA*? Solutio obiectionis ex otio, quod maius in historia requiritur. Subseciua tempora dicuntur, quae a legitimis negotijs subsecantur, & detrahuntur. *ANIMI pendere*? cruciari. *LEGATIONEM aliquam*? Legationes nonnumquam senatores, ut libere in prouincijs adesse possent a procuratore reipub. interdum etiam petebant uoti causa. *AETATIS uacationi*? Nam senibus uacatio dabatur ab onere forensium. *MORE patrio sedens in folio,*

lio, & c. Videtur eiusmodi iuris interpretationem significare, qualem de Q. Mucio Scaeuola ita meminit in Bruto: Ego autem iuris ciuili studio multum operae dabam Q. Scaeuolae P. F. qui quamquam nemini se ad docendum dabat, tamen consulentibus respondendo studiosos audiendo docebat. **ATQVI** Refutatio uacationis ex opposita causa. **ROSCIVS** De eo Cic. lib. I. de Orat. Solet idem Roscius dicere, se, quo plus aetatis sibi accederet, eo tardiores tibicinis modos, & cantus remissiores esse facturum. **NUMEROS** uersus, carmina. **A philosophorum lenitate** Mollis est enim philosophorum (ut est in orat.) oratio, & umbratilis, nec sententijs, nec uerbis instructa popularibus, nec iuncta numeris, sed soluta liberius, nihil iratum habet, nihil inuidum, nihil atrox, nil mirabile, nihil astutum, casta uerecunda, uirgo incorrupta quodammodo, atque sermo potius quam oratio. **QVOD sustinere** Sententia propositionis: Si sustinere dictionem tuam senectus possit, non dabitur uacatio. **SI QUIDEM** Recusatio postulationi iuris interpretandi, ex adiunctione labore. **PARATVS** confectis scilicet commentarijs caussarum. **COGITATIONEM** meditationem, commentationem. **HVNC diem** actiuum, quo perorata dicitur haec quaestio. **QVIN igitur** occasione aetatis diurni decoratur dialogus adiunctis loci ad Platonis imitationem, qui primo legum sedes opacas ad requiescendum proponit. Est illud etiam genus orationis in Phaedro de Ilisso flumine, de aquila, platano, uento, herba. **SPATIA nostra**, loca deambulationi philosophicae destinata. A deambulatione Peripatetica schola denominationem habet. **ALIUD ex alio quaerentibus** sermonibus nos inuicem consolantibus, modo ambulando, modo sedendo. **Nos uero** subaudi, parati sumus. **PER ripam, & umbram**, per laborem, ac requiem, per supremam, & infimam, inter aspera, & lenia. Sic paulo supra in hanc sententiam meminit de proceris, & tenera palma. **Ego ne?** Sic loqui solent, qui ad respondendum parati sunt. **MAGNA professos in parujs, & c.** Videtur imitari Platonem, in cuius libro primo Legum, Hospes Cretensem, & Laconicam respub. reprehendit, quod fortitudinem militarem, particulam uirtutis, non totam uirtutem, legibus suis amplecterentur. **QVAM est populo necessarium?** Hoc ad laudem spectat: Cicero autem contra potius significat: dixit enim: Quid autem tam exiguum, quam est munus hoc eorum, qui consuluntur? quare Iulpicor de mendo: nisi si quis eorum dictum uelit. Muretus continuandam orationem putabat, hoc modo, Consuluntur, cum est populo necessarium? mutatio autem fere nulla. nam, Cum, ueteres scribebant, Quom. Haec Paullus pater. **CIVILE, quod uocant** Nec enim ius ciuile totum est, quod a ueteribus est descriptum: sed id demum ius ciuile fuerit, quo penitus ciuitas regitur. **INCOGNITVM**, & populo scilicet.

CICERO

AT. Atqui, si quaeres, ego quid expectem, quoniam scriptum est a te de optimo reipublicae statu, consequens esse uidetur, ut scribas tu idem de legibus, sic. n. fecisse uideo Platonem illum tuum, quem tu admiraris, quem omnibus anteponis, quem maxime diligis. **M.** Vis ne igitur, ut ille cum Crete Clinia, et cum Lacedaemonio Megillo, aestiuo, quem admodum describit, die, in cupressietis Gnosiorum, & spatijs siluestribus crebro insistens, interdum acquiescens, de institutis rerum, ac de optimis legibus disputat; sic nos inter has procerissimas populos, in uiridi opacaq. ripa inambulantes, tum autem residentes, quaeramus ijsdem de rebus aliquid uberius, quam forensis usus desiderat? **Att.** Ego uero ista audire cupio. **M.** Quid ait Quintus? **Q.** Nulla de re magis. **M.** Et recte quidem. nam sic habetote, nullo in genere, disputando, honeste patefieri, quid sit homini natura tributum; quantam uim rerum optimarum mens humana contineat, cuius muneris colendi, efficiendiq. causa nati, & in lucem editi simus; quae sit coniunctio hominum, quae naturalis societas inter ipsos. his enim explicatis, fons legum & iuris inueniri potest. **Att.** Non ergo a praetoris edicto, ut plerique nunc, neque a XII tabulis, ut superiores, sed penitus ex intima philosophia hauriendam iuris disciplinam putas. **M.** Non enim id quaerimus hoc sermone, Pomponi, quemadmodum caueamus in iure, aut quid de quaue consultatione respondeamus. sit ista res magna, sicut est; quae quondam a multis claris uiris, nunc ab uno summa auctoritate & scientia susinetur. sed nobis ita com-
plectenda in hac disputatione tota causa est uni-

uersi iuris ac legum; ut hoc, ciuile quod dicimus, in paruum quendam & angustum locum concludatur. natura enim iuris explicanda nobis est, eaq. ab hominis repetenda natura: considerandae leges, quibus ciuitates regi debeant: tum haec tractanda, quae composita sunt, & descripta, iura, & ius sa populorum: in quibus ne nostri quidem populi latebunt quae uocantur iura ciuilia. **Q.** Atte uero, et, ut oportet, a capite, frater, repetis, quod quaerimus: & qui aliter ius ciuile tradunt, non tam iustitiae, quam litigandi tradunt uias. **M.** Non ita est, Quinte: ac potius ignoratio iuris litigiosa est, quam scientia. Sed haec posterius, nunc iuris principia uideamus. Igitur doctissimis uiris proficisci placuit a lege: haud scio, an recte: si modo, ut iudem definiunt, lex est ratio summa, insita in natura, quae iubet ea, quae facienda sunt, prohibetq. contraria. eadem ratio cum est in hominis mente confirmata, et confecta, lex est. itaque arbitrantur prudentiam esse legem, cuius ea uis sit, ut recte facere iubeat, uetet de linquere: eamq. rem illi Graeco putant nomine a suum cuique tribuendo appellatam: ego, nostro, a legendo. nam ut illi aequitatis, sic nos delectus uim in lege ponimus: et proprium tamen utrumque legis est. quod si ita recte dicitur, ut mihi quidem plerumque uideri solet; a lege ducendum est iuris exordium. ea est enim uaturae uis, ea mens ratioq. prudentis, ea iuris atque iniuriae regula. Sed quoniam in populari ratione omnis nostra uersatur oratio; populariter interdum loqui necesse erit, & eam legem, quae scripto sancit, quod uult, aut iubendo, aut uetando, ut uulgus, appellare. Constituendi uero iuris ab illa
summa

summa lege capiamus exordium, quae saeculis omnibus ante nata est, quam scripta lex ulla, aut quam omnino ciuitas constituta. Q. Commodius uero, & ad rationem instituti sermonis aptius. M. Vis ne ergo ipsius iuris ortum a fonte repetamus? quo in uento, non erit dubium, quo sint haec referenda, quae quaerimus. Q. Ego uero ita faciendum esse censeo. Att. Me quoque adscribito fratris sententiae. M. Quoniam igitur eius reipublicae, quam optimam esse docuit in illis sex libris scipio, tenendus est nobis & seruandus status, omnesque leges accommodandae ad illud ciuitatis genus; serendi etiam mores, nec scriptis omnia sancienda; repetam stirpem iuris a natura; qua duce nobis omnis est disputatio expli-

canda. Att. Rectissime: & quidem ista duce errari nullo pacto potest. M. Das ne igitur hoc nobis, poni, (nam Quinti noui sententiam) deorum immortalium uel, natura, ratione, potestate, mente, numine, siue quod est aliud uerbum, quo planius significem quod uolo, naturam omnem regi? nam si hoc non probas, ab eo nobis caussa ordianda est potissimum. Att. Do sane, si postulas. etenim, propter hunc concentum auium, strepitumque fluminum, non uereor, condiscipulorum ne quis exaudiat. M. At qui cauendum est. solent enim, id quod uirorum bonorum est, admodum irasci. nec uero ferent, si audierint; te primum caput libri optimi prodidisse, in quo scripsit, nihil curare deum, nec sui, nec alieni.

EXPLANATIO

Sic enim fecisse uideo Platonem? Argumentum a simili. **ILLVM tuum?** Tusc. I. M. Cicero: Etenim, inquit, si nullam rationem afferret Plato, uide quid homini tribuam, ipsa auctoritate me frangeret. **Ut ille?** Hospes Atheniensis disputat in legibus, cum Crete Clinia, & Megillo Lacedaemonio. Hospitem igitur Cicero interpretatur esse Platonem. **AESTIVO die in cupressetis?** Locus est primo Legum, ubi a Platone fingitur progressio a Gnosijs ad Iouis antrum, & sacrum. Creta autem ubi cupresseta a Platone asperior, at siluestris describitur. **INSTITVTIS?** moribus. **NVLLO in genere,** & Attingit capita disputationis. **NON ergo?** A duodecim tabulis ueteres iuriconsulti ciuilibus interpretationem incipiebant, & a praetoribus posteriores. **CAVEAMVS?** demus operam. **AB uno?** fortasse a Seruio Sulpicio peritissimo iuriconsulto, quem in Bruto mirum in modum laudat. **NOBIS ita complectenda?** Sic emendauimus ex antiquo libro; cum antea legeretur Noris ista, & infra, ex eodem libro sustulimus dictionem, Naturae; quae erat post, Concludatur. Haec Paullus pater. **NATURA enim?** Partitio quaedam est librorum de legibus. **ALTE,** & ut oportet a capite? Confirmatio positae partitionis. **Laudari se a fratre** permittit Cicero; idque tamen non sine exemplo aliquo sui Platonis, qui cum de reipub. Cretica, & Laconica primolegem differuisset, ita se laudari facit a Clinia: *Ω ξένη Αθηναίη, ου γάρ Αττικόν εθέλοιμ' αν προσαγορεύειν. δοκείς γάρ μοι τής θεού επωνομίας αξιοίον ειναι μάλλον ε' πονομαζεσθαι:* O Hospes Atheniensis, non enim Atticum te uelim nominare, uideris enim deae agnomine potius appellandus esse. Hic Clinias deae, *Αθηνας* nempe, cognomento facit Platonem. **A capite?** a principio. **Et qui aliter,** &c. & ut qui a praetoris edicto, aut a XII. tabulis. non enim ij a capite ius ciuile quaerunt, ut breuiter enunciare possint ratas sententias ad beate uiuendum. **NON ita est?** Correctio ex dissimili. **DOCTISSIMIS iuris?** philosophos intelligit, quos III. legum significat sibi propositos fuisse. **LEX est ratio?** Legis definitio. **SVMMA?** perfecta, & absoluta. **INSITA in natura?** Ad hanc definitionis partem refertur reliqua primi libri disputatio. **CONFECTA?** definita. **ITAQUE?** E legis definitione concluditur, prudentiam esse legem, & notatio nominis Graeci, ac Latini profertur. **A legendo?** hoc est, colligendo. **AEQVITATIS?** iustae distributionis. **DELECTVS uim?** libere colligendi uim. **VTRVMQUE?** scilicet ius distribuens, & uis colligens. Religio autem a Relegendum alibi deducta est, ut sit distributorum recollectio. **QVOD si ita?** Concluditur a legis definitione recte duci legis exordium. hinc initio secundi Cicero: Nihil porro, inquiet, tam aptum est ad ius, quod cum dico, legem a me dici intelligi uolo. **EX ORDIVM?** origo. **SED quoniam?** Prolepsis quaedam est, quod populus secus legem sibi definiat, & nullam legem nisi scriptam intelligat. **CONSTITVENDI uero iuris?** Contra populi abusum definienda lex a natura. **NATA?** sic pro Milone eleganter, & magnifice lex naturalis describitur: Est enim, iudices, non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus. **QVAM scripta lex ulla?** Cum patres Romae, plebsque de legibus diutius contendissent, tandem placuit aequandae libertatis causa tres legatos Athenas mitti: qui Solonis inelytas leges describerent, & aliarum Graeciae ciuitatum instituta, mores, iuraque noscerent. Itaque a decem uiris primum decem tabulae compositae sunt: quibus duae post adiectae summam Romani iuris compleuerunt, & haec leges decemuirales, quibus Tabulae XII. est nomen. in aes incisae sunt, & in publico propositae. Vide Liuium lib. III. **SERENDI etiam mores?** serenda est politica uita, ut ciues sint beati secundum naturam. **REPETAM stirpem?** repetam originem. **ISTA duce?** Natura, quos ducit, errare non permittit. In hoc sumus sapientes (ait in senectute Caro) quod naturam optimam ducem, tamquam deum sequimur eique paremus. **Quid enim est aliud,** Gygantum more bellare cum dijs, nisi naturae repugnare? **DAS ne?** Postulatur ab Attico prouidentia deorum mundum regi, quia, ut Epicurus otiosos esse deos, nec sibi, nec alteri negotij quidquam exhibere docuerat. **NAM Quinti noui sententiam?** qui Stoicos imitatus deorum prouidentiam multis argumentis probauerit. lib. I. de diuinat. **Do sane?** concessio iocularia ex adiunctis loci Epicureae personae congruis. **FLVMINVM?** Liris, & Fibreni. **CONDISCIPVLORVM?** consecrantium Epicuri doctrinam. **VIRORVM bonorum est irasci?** Simplicium est uirorum, ut, qui ratione non possunt, iracundia sectas suas propugnare soleant. De Epicureis autem ita Cicero Tusc. I. Multi iam esse libri Latini dicuntur scripti inconsiderate, ab optimis illis quidem

dem uirtis, sed non satis eruditis. Te primum caput libri optimi prodidisse & Defecisse a dogmate, quod Epicurus scripsit primo capite libri, cuius quidem Cicero meminit i. r. de Fin. dum Epicureus alloquitur: Quis enim uestrum ait, non edidit *κυριαις δόξαις*, id est maxime ratas, quia grauissimae sunt, & ad beate uiuendum breuiter enunciatae sententiae: LIBRI optimi & Nisi, Viri, Legas, non erit, unde pendeat uerbum, Scripsit. Haec enim de Epicureis, non de uno Epicuro, locutus est. In quo scripsit, &c. & Epicuri uerba *ἐν ταῖς κυριαις δόξαις: τὸ μακρῶν, καὶ ἀσφατῶν οὐτε ἀποπράγματα ἔχει, οὐτε ἀλλοπαρεχει.* Hinc lib. i. de diuinat. ita inquit Cicero, Video nonnullis uideri Epicurum ne in offensionem Atheniensium caderet, uerbis reliquisse deos, re sustulisse.

C I C E R O

AT. Perge, quae so: nam id, quod tibi concessi, quorsum pertineat, expecto. M. Non faciam longius. huc enim pertinet: Animal hoc, prouidum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & consilij, quem uocamus hominem, praecleara quadam condicione generatum esse a summo deo. solum est enim ex tot animantium generibus, atque naturis, particeps rationis, & cogitationis; cum cetera sint omnia expertia. quid est autem, non dicam in homine, sed in omni caelo, atque terra, ratione diuinius? quae cum adoleuit, atque perfecta est, nominatur rite sapientia. est igitur (quoniam nihil est ratione melius, eaq. & in homine, & in deo) prima homini cum deo rationis societas: inter quos autem ratio, inter eosdem etiam recta ratio communis est: quae cum sit lex, lege quoque consociati homines cum dijs putandi sumus: inter quos porro est communio legis, inter eos communio iuris est: quibus autem haec sunt inter eos communia, & ciuitatis eiusdem habendi sunt: si uero iisdem imperijs, & potestatibus parent, multo etiam magis. parent autem huic caelesti descriptioni, mentiq. diuinae, & praepotenti deo: ut iam uniuersus hic mundus, una ciuitas communis deorum, atque hominum existimanda sit. & quod in ciuitatibus ratione quadam, de qua dicitur idoneo loco, agnationibus familiarum distinguuntur status, id in rerum natura tanto est magnificentius, tantoq. praeclearius, ut homines deorum agnatione, & gente teneantur. nam, cum de omni natura quaeritur, disputari solent nimirum ista; perpetuis cursibus, conuersionibus caelestibus exstitisse quandam maturitatem ferendi generis humani, quod sparsum in terras, atque satum, diuino auctum sit animorum munere: cumq. alia, quibus s. cohaerent homines, e mortali genere sumpserint, quae fragilia essent, et caudica: animum tamen esse ingeneratum a deo, ex quo uere uel agnatio nobis cum caelestibus, uel gens, uel stirps appellari potest. itaque ex tot generibus nullum est animal praeter hominem, quod habeat notitiam aliquam dei: ipsiq. in hominibus nulla gens est neque tam immansueta, neque tam fera, quae non, etiam si ignoret, qualem habere deum deceat, tamen habendum sciat. ex quo efficiunt illud, ut is agno-

cat dum qui, unde ortus sit, quasi recordetur, & agnoscat. Iam uero uirtus eadem in homine, ac deo est, neque alio ullo ingenio praeterea. est autem uirtus nihil aliud, quam in se perfecta, & ad summum perducta natura. est igitur homini cum deo similitudo. quod cum ita sit, quae tandem esse potest propior, certior uel cognatio: itaque ad hominum communitates, et usus tantam rerum ubertatem natura largita est, ut ea, quae gignuntur, donata consulto nobis, non fortuito nata uideantur: nec solum ea, quae frugibus, atque haccis terrae fetu profunduntur, sed etiam pecudes: quod perspicuum sit, partim esse ad usum hominum, partim ad fructum, partim ad uescendum procreatas. Artes uero innumerabiles repperit, & docente natura. quam imitata ratio, res ad uitam necessarias solertia consecuta est. Ipsum autem hominem eadem natura non solum celeritate mentis ornauit, sed etiam sensus tamquam satellites attribuit, ac nuncios: et rerum plurimarum obscuras, & necessarias intelligentias enudauit, quasi fundamenta quaedam scientiae; figuramq. corporis habitabilem, & aptam ingenio humano dedit. nam, cum ceteras animantes abbeccisset ad partum, solum hominem erexit, & ad caeli, quasi cognationis, domicilijq. pristini, conspectum excitauit: tum speciem ita formauit oris, ut in ea penitus receditos mores effingeret. nam & oculi nimis arguti, quemadmodum animo affectu simus, loquuntur; & is, qui appellatur uultus, qui nullo in animante esse praeter hominem potest, indicat mores: cuius uim Graeci norunt, nomen omnino non habent. Omitto opportunitates, habitatesq. reliqui corporis, moderationem uocis, orationis uim, quae conciliatrix est humanae maxime societatis. neque enim omnia sunt huius disputationis, ac temporis: & hunc locum satis, ut mihi uidetur, in ijs libris, quos legis, expressit Scipio. Nunc, quoniam hominem, quod principium reliquarum rerum esse uoluit, generauit, & ornauit deus; perspicuum sit illud, ne omnia differantur, ipsam per se naturam longius progredi: quae, etiam nullo docente, profecta ab ijs, quorum ex prima, & inchoata intelligentia genera cognouit, confirmat ipsa per se rationem, & perficit.

EXPLANATIO

MULTIPLEX & eruditus. multiplicitati opponitur simplicitas, & bonos uiros simplices, & non satis eruditos dicimus. SOLVM est enim & Arist. lib. i. Polit. λόγον δὲ μόνον ὁ ἀνθρώπος ἔχει τῶν ζῴων. Non dicam in homine & supra enim dixit legem in hominis mente confirmatam esse prudentiam. PERFECTA est & nihil in eruditionis habens. RATIONIS societas: & Idem in compendio sententiarum Stoicarum scribit

Z bit

bit Arius, κόσμον πάλιν εἶναι ἐκ θεοῦ, καὶ ἀνθρώπων συνεσθ' ἄνθρωποι ἀνδ' ὑπάρχειν πρὸς ἀλλήλους διὰ τὸ λόγον μετέχειν, ὅς ἐστι φύσει νόμος. **LEGE** consociati homines cum dijs ꝛ hinc Legendio Legem deduxit, & a Relegendo Religionem: quae ciuitatum fundamentum dicitur. **CAELESTI descriptioni**, ꝛ sapientiae. **VNIuersvs hic mundus** ꝛ natura colligens summa, & infima. **VNA ciuitas** ꝛ Stoici, ut patet I I I. de Fin. censent mundum quasi communem ciuitatem hominum & deorum, & unumquemque nostrum huius mundi esse partem. **AGNATIONE** ꝛ Proprie agnatio est propinquorum per uirilis sexus consanguinitatem coniectio. Nam mulier, ut ait Paullus iuriconsultus, familiae suae & caput, & finis est. **GENTE** ꝛ Gentiles uulgata significatione nobiles appellantur, ita a plebeijs distincti, ut ij aliquando stirpis nomine uideantur appellari quasi plantalem tantum uitam non etiam animalem degerent. Facit cum hac ratione Homini uocabulum apud Graecos, qui eum ἀνθρώπων, hoc est arborem euerlam dixere. Facit etiam, quod Cicero in Timaeo sic scribit: In quibus, qui tales creantur, ut deorum immortalium quasi gentiles esse debeant, diuini generis appellentur, teneantq; omnium animantium principatum. De *omni natura* ꝛ de communi natura. **DISPUTARI solent nimirum ista**; ꝛ Vetus liber Maffei habet, Disputari solet nimirum ista: unde mihi orta coniectura est, Nimirum ista, glossam fuisse, eamq; omnino esse inducendam: quod tamen prius non adducar, ut faciam, quam id mihi per antiquos libros licere perspiciam. Haec Paullus pater. **PERPETVIS** ꝛ perennibus, numquam intermittentibus. **MATVRITATEM** ꝛ opportunitatem. **GENERIS humani** ꝛ seminis, ex quo homo generetur. **AVCTVM** ꝛ uegetatum. **ITAQVE ex tot & c.** ꝛ Ex proprietate diuinae notitiae probatur humanum animum a Deo ingeneratum. **EFFICIUNT** ꝛ concludunt. **VIRTVS eadem** ꝛ sed Platonici, quae in deo sunt, in homine summiusiora censent. Aiunt Stoici igniculos nobis quosdam uirtutum natura infitos esse, qui cum adulti sunt perfectam uirtutem efficiunt. **EST autem uirtus** ꝛ Definitio uirtutis, sic v. de Fin. ex Academica sententia definitur uirtus rationis absolutio. Arist. lib. VII. cap. I. 5. ὁ δὲ λόγος & c. **EST igitur** ꝛ Concluditur agnatio deorum, & hominum. **ITAQVE ad hominum** ꝛ Continuat eadem disputatio longa beneficiorum diuinorum erga homines inductione, ex qua pateat illa dei parentis in homines filios agnatio. **ARTES** ꝛ Platonis in Gorgia sententia est, artes omnes imitatione, obseruatione, & experientia repertas esse. **CELERITATE** ꝛ Thaleti attribuitur apud Laertium illud, Τάχιον νοῦς, διὰ παντός γὰρ τρέχει. Velocissimum mens, per omnia enim permeat. **INTELLIGENTIAS** ꝛ notiones mente perceptas. **AD caeli conspectum** ꝛ ut mente naturam caelestem consideraret. **ORIS** ꝛ faciei, uultus. **ARGVTI** ꝛ iudicium praebentis iudicari. **NOMEN omnino non habent.** ꝛ Graecam linguam in ceteris locupletissimam in re tam familiaris indignum fuisse tam mirabile uidetur, ut potius consulo id factum fuisse, facile suspicari possit. De uultu sic in Pitonem Cicero: Non pilosae genae, non dentes putridi deceperunt: oculi supercilia, frons, uultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est. **OMITTO** ꝛ longiorem diuinorum beneficiorum inductionem perstringit. **CONCILIATRIX** ꝛ Sica Cicerone Orat. I I. Sed tantam uim habet illa, quae a bono poeta dicta est, flexanima, atque omnium regina rerum Oratio. **IN ijs libris** ꝛ Lib. VI. de rep. ut ait Laetant. de officio cap. I. **NUNC, quoniam** ꝛ Concluditur princeps quaestio, cur homo ad legem naturaliter tendit. **PRINCIPIVM** ꝛ nobilissimum. **LONGIVS** ꝛ ad maiorem gradum nobilitatis. **INCHOATA** ꝛ imperfecta.

CICERO

ATT. Dij immortales, quam tu longe iuris principia repetis, atque ita, ut ego non modo ad illa non properem, quae expectabam a te de iure civili, sed facile patiar, te hunc diem uel totum in isto sermone consumere. sunt enim haec maiora, quae aliorum causa fortasse complecteris, quam ipsa illa, quorum haec causa praeparantur. M. Sunt haec quidem magna, quae nunc breuiter attinguntur: sed omnium, quae in hominum doctorum disputatione uersantur, nihil est profecto praestabilius, quam plane intelligi, nos ad iustitiam esse natos, neque opinione, sed natura constitutum esse ius. id iam patebit, si hominum inter ipsos societatem, coniunctionemq; perspexeris. nihil est enim unum uni tam simile, tam par, quam omnes inter nosmetipsos sumus, quod si deprauatio consuetudinum, si opinionum uanitas non imbecillitatem animorum torqueret, & steteret quocumque coepisset: sui nemo ipse tam similis esset, quam omnes sunt omnium. itaque, quaecumque est hominis definitio, una in omnes ualet. quod argumenti satis est, nullam dissimilitudinem esse in genere: quae si esset, non omnes una definitio contineret. etenim ratio, qua una praestamus belluis, per quam coniectura ualemus, argumentamur, refellimus, dis-

serimus, conscimus aliquid, concludimus, certe est communis, doctrina differens, diuini quidem facultate par. nam & sensibus eadem omnia comprehenduntur: & ea, quae mouent sensus, itidem mouent omnium: quaeq; in animis imprimuntur, de quibus ante dixi, inchoatae intelligentiae, similiter in omnibus imprimuntur: interpretq; est mentis oratio, uerbis discrepans, sententijs congruens. nec est quisquam gentis uilius, qui, duce natus, ad uirtutem peruenire non possit. Nec solum in rellis, sed etiam in prauis aetibus insignis est humani generis similitudo. nam & uoluptate capiuntur omnes: quae etsi est illecebra turpitudinis, tamen habet quiddam simile naturalis boni. lenitate enim, & suauitate delectans, sic ab errore mentis tamquam salutare aliquid adsciscitur. Similiq; inscitia mors fugitur, quasi dissolutio naturae; uitae expetitur, quia nos, in quo nati sumus, continet: Dolor in maximis malis ducitur, cum sua asperitate, tum quod naturae interitus uidetur sequi. Propter honestatis, & gloriae similitudinem, beati, qui honorati sunt, uidentur; miseri autem, qui in gloria. Molestiae, laetitiae, cupiditates, timores similiter omnium mentes peruagantur. Nec, si opiniones aliae sunt apud alios,

alios, iccirco, qui canem, & selem, ut deos, colunt, non eadem superstitione, qua ceterae gentes, conficiantur. Quae autem natio non comitatem, non benignitatem, non gratum animum, & beneficij memorem diligit? quae superbos, quae maleficos, quae crudeles, quae ingratos non aspernatur, non odit? Quibus ex rebus cum omne genus hominum sociatum, inter se esse intelligatur; illud extremum est, quod recte uiuendi ratio meliores efficit. Quae si approbatis, pergam ad reliqua: sin quid requiritis, id explicemus prius. Att. Nos uero nihil: ut pro utroque respondeam. M. Sequitur igitur, ad participandum alium ab alio, communicandumque inter omnes, iustus natura nos esse factos: (atque hoc in omni hac disputatione sic intelligi uolo, quod dicam naturam esse) tantam autem esse corruptelam malae consuetudinis, ut ab ea tamquam igniculi exstinguantur a natura dati, exorianturque, & confirmentur uicia contraria. quod si, quo modo est natura, sic iudicio homines humani, ut ait poeta, nihil a se alienum putarent: coleretur ius aequae ab omnibus. quibus enim ratio natura

data est, iisdem etiam recta ratio data est: ergo & lex, quae est recta ratio in iubendo, & uetando: & si lex, ius quoque. at omnibus ratio: ius igitur datum est omnibus. recteque. Socrates execrari eum solebat, qui primus uilitatem a natura seiunxisset. id enim querebatur caput esse exitiorum omnium, unde est illa Pythagorica uox, ✱ Ex quo perspicitur, cum hanc beneuolentiam, tam late, longeque, diffusam, uir sapiens in aliquem pari uirtute praeditum contulerit, tum illud effici, quod quibusdam incredibile uideatur, sit autem necessarium, ut nihil se plus, quam alterum, diligit. quid enim est, quo differat, cum sint cuncta paria? quod si interesse quippiam tantulum modo potuerit; amicitiae iam nomen occiderit: cuius est ea uis, ut, simul atque sibi aliquid, quam alteri, maluerit, nulla sit. Quae praemuniuntur omnia reliquo sermone, disputationeque nostrae, quo facilius ius in natura esse positum intelligi possit. de quo cum perpauca dixerem, tum ad ius ciuile ueniam, ex quo haec omnis est nata oratio.

EXPLANATIO

QUAM longe & quam alte. COMPLECTERIS & perstringis. HOMINUM doctorum & Philosophorum. AD iustitiam & ad cultum iustitiae. QUID si? Docet unde dissimilitudo inter homines esse uideatur, argumentatque naturalem hominem societatem, unde naturalem quoque legem esse constet, ex similitudine hominum inter se communi, nempe definitione, ratione, rationisque, communibus instrumentis, sensibus, intelligentiis inchoatis, oratione, communi natura, communibus affectibus, communitum uirtutum amore, tam uitiorum odio. IN genere & in natura. QVAE mouent sensus & Periphrasis est sensilium. INTERPRES & nuncia. VERBIS discrepans & non enim uerba apud omnes eadem sunt, sed sensa, quia a natura proficiuntur. ILLECEBRA turpitudinis & definitio uoluptatis. Illecebra, δέλεαρ κακῶν, esca malorum in Timaeo dicitur, de quo sic de Senectute Cicero: Diuine enim Plato escam malorum uoluptatem appellat, quod ea uidelicet homines capiantur, uelut hamo pisces. QVI canem & c. De ijs superstitionibus ample Iuuen. Satyra xv. ILLUD extremum est, quod recte uiuendi ratio meliores efficit. Hoc uidetur dicere: Illud extremum est, recte uiuendi ratione meliores effici, ad hanc sententiam, si quis usum, & proprietatem Latinae linguae tenet, profecto intelliget, non recte accommodari, Quod, quamquam, cum alia eiusdem generis exempla intueor, ambigo, quid sentiam: quae collegimus in Commentarijs nostris epist. ad Atticum, cum illud in epistola ultima lib. x. i. interpretaremur, Quod minimum uellem spiritum reliquum esse. Haec Paullus pater. Illud extremum est: illud concludendum relinquatur. Recte uiuendi ratio: quae summa, & conclusio legis est, meliores enim efficiens homines, uidetur hominis naturae congruere. SEQUITUR igitur & nimirum in ordine quaestionum propositarum. IUSTOS natura nos esse factos & id est, ad iustitiam nos esse natos, ut antea: Nihil est profecto praestabilius, quam plane intelligi nos ad iustitiam esse natos. QUID dicam naturam esse? Fortasse glossema fuit, Quod dicam natura esse: ut explanaretur illud proxime dictum, Iustos natura nos esse factos. HAEC Paullus pater. CORRUPTELAM & Antea dixit: Quod si deprauatio consuetudinum, &c. IGNICULI exstinguantur & Corruptelam, siue turpitudinem, aut deprauationem qua Stoici exstinguunt censent uirtutis igniculos, consentaneum est ab eisdem existimatam fuisse aequam. UT ait poeta, & Terentium innuere uidetur, in cuius comoedia, Heaut. Chremes sic inquit: Homo sum, humani a me nihil alienum puto. RECTEQ. Socrates & Cicero lib. i. de offic. Itaque accepimus Socratem execrari solitum eos, qui haec naturae cohaerentia opinione distraxissent: cui quidem ita sunt Stoici assensu, ut quidquid honestum esset, id utile esse censerent: nec utile quidquam, quod non honestum. PYTHAGORICA UOX & τὸ τοῦ ἰδίου κῆρυξ φιλικῆς ἰσότητος. Res amicorum communes, & amicitiam aequalitatem. QUID enim & Argumentum a contrario. PRAEMUNIUNTUR & praeparantur, corroborantur. DISPUTATIONEQ. nostrae & nimirum de iure ciuili.

CICERO

QU tu uero iam perpauca scilicet. ex his enim, quae dixisti, Attico & uidetur, mihi quidem certe, ex natura ortum esse ius. Att. An mihi aliter uideri possit, cum haec iam perfecta sint & primum, quasi muneribus deorum nos esse instructos,

& ornatos: secundo autem loco, unam esse hominum inter ipsos uiuendi parem, communemque rationem: deinde, omnes inter se naturali quadam indulgentia, & beneuolentia, tum etiam societate inris contineri. quae cum uera esse, recte, ut arbitror, conserimus;

ceſerimus; qui iam licet nobis a natura leges, & iura ſeiungere & M. Recte dicis; & res ſe ſic habet: uerum philoſophorum more, non ueterum quidem illorum, ſed eorum, qui quaſi officinas inſtruxerunt ſapientiae, quae ſiſe olim diſputabantur, ac libere, ea nunc articulatiſſimè, diſtinctèq. dicuntur. nec enim ſatis fieri cenſent huic loco, qui nunc eſt in manibus, niſi ſeparatiſſimè, hoc ipſum naturae eſſe ius, diſputarint. Att. Et ſcilicet tua libertas diſſerendi amiſſa eſt: aut tu iſ es, qui in diſputando non tuum iudicium ſequare, ſed auctoritati aliorum pareas. M. Non ſemper ita: ſed, iter huius ſermonis quod ſit, uides: ad reſp. firmandas, & ſtabiliendas iure, ſanandos populos, omnis noſtra pergit oratio. quocirca uereor committere, ut non bene prouiſa, & diligenter explorata principia ponantur: nec tamen ut omnibus probentur: nam id fieri non poteſt: ſed ut iſ, qui omnia recta, atque honeſta per ſe expetenda dixerunt; & aut nihil omnino in bonis numerandum, niſi quod per ſe ipſum laudabile eſſet; aut certe nullum habendum magnum bonum, niſi quod uere laudari ſua ſponte poſſet. His omnibus (ſiue in Academia uere cum Speuſippo, Xenocrate, Polemone manſerunt: ſiue Ariſtotelem, & Theophratum, cum illis re congruentibus, genere docendi paulum differentes, ſecuti ſunt: ſiue, ut Zenoni uiſum eſt, rebus non commutatis immutauerunt uocabula: ſiue etiam Ariſtonis diſſicilem, atque arduam, ſed iam tamen fractam, & conuictam ſectam ſecuti ſunt, ut, uirtutibus exceptis, atque uitijs, cetera in ſumma aequalitate ponerent) his omnibus haec, quae dixi, probentur. ſibi autem indulgentes, & corpori deſeruietes, atque omnia, quae ſequantur in uita, quaeq. fugiant, uoluptatibus, & doloribus ponderantes, etiam ſi uera dicunt, (nihil enim opus eſt hoc loco litibus) in hortulis ſuis iubeamus dicere, atque etiam ab omni ſocietate reip. cuius partem nec norunt illam, nec umquam noſſe ueluerunt, pauliſſer faceſſant, rogemus. perturbatricem autem harum omnium rerum Academiam, hanc ab Arceſila, & Carneade recentem, exoremus, ut ſileat. nam, ſi inuaſerit in haec, quae ſatis ſcite nobis inſtructa, & compoſita uidentur, miras edet ruinas: quam quidem ego placare cupio, ſubmouere non audeo. * Nam & in iſ ſine illius ſuffi-

mentis expiati ſumus. at uero ſcelerum in homines, atque impietatum, nulla expiatio eſt. itaque poenas luunt, non tam iudicijs, quae quondam nuſquam erant, hodie multifariam nulla ſunt; ubi ſunt tamen, perſaepe falſa ſunt; quam ut eos agitent, inſectenturq. furiae, non ardentibus taedis, ſicut in fabulis, ſed angore conſcientiae, fraudisq. cruciatu. quod ſi homines ab iniuria poena, non natura, arceret deberet: quatenam ſolicitudo uexaret impios, ſublato ſuppliciorum metu? quorum tamen nemo tam audax unquam fuit, quin aut abaueret a ſe commiſſum eſſe facinus; aut iuſti ſui doloris cauſam aliquam fingeret, deſenſionemq. facinoris a naturae iure aliquo quaereret. quae ſi appellare audent impij, quo tandem ſtudio colentur a bonis? quod ſi poena, ſi metus ſupplicij, non ipſa turpitudine, deterret ab iniurioſa, facinoroſaq. uita: nemo eſt iniuſtus; at incauti potius habendi ſunt improbi. tum autem; qui non ipſo honeſto mouemur, ut boni uiri ſimus, ſed utilitate aliqua, atque fructu; callidi ſimus, non boni. nam, quid faciet iſ homo in tenebris, qui nihil timet, niſi teſtem, & iudicem? quid in deſerto loco, naſtus quem multo auro ſpoliare poſſit, imbecillum, atque ſolum? noſter quidem hic, natura iuſtus uir, ac bonus, etiam colloquetur, inuabit, in uiam deducet: iſ uero, qui nihil alterius cauſa faciet, & metietur ſuis commodis omnia, uideris, credo, quid ſit acturus. quod ſi negabit ſe illi uitam erepturum, & aurum ablaturum: numquam ob eam cauſam negabit, quod id natura turpe indicet, ſed quod metuat ne emanet, id eſt, ne malum habeat. o rem dignam, in qua non modo docti, uerum etiam agreſtes erubeſcant. iam uero illud ſtultiſſimum, exiſtimare omnia iuſta eſſe, quae ſcita ſunt in populorum inſtitutis, aut legibus. etiam ne, ſi quae ſunt tyrannorum leges? ſi triginta illi Athenis leges imponere uoluiffent; aut ſi omnes Athenienſes doctiarentur tyrannicis legibus; num iccirco, hae leges iuſtae haberentur? nihilo. credo, magis illa, quam interrex noſter tulit, ut dictator, quem uellet ciuium, indiſta cauſa impune poſſet occidere. eſt enim unum ius, quo deuiſa eſt hominum ſocietas, & quod lex conſtituit una, quae lex eſt recta ratio imperandi, atque prohibendi: quam qui ignorat, iſ eſt iniuſtus, ſiue illa eſt ſcripta uſpam, ſiue nuſquam.

EXPLANATIO

T uero? Aſſenſione Attici Epicurei, & Quinti Stoici confirmatur illa conſuſio, ius natura eſſe politum. Attico * uidetur? Tale quippiam ſuſpicio deſſe, ut opinor. ut ita continuata oratione legatur: Attico, ut opinor, uideatur, mihi quidem certe, ex natura ortum eſſe ius. nam illud, mihi quidem certe, anteire ſignificat: ut opinor, uel aliquid eiufmodi. Haec Paullus pater. An mihi aliter? Attribuitur Attico ad confirmandum eius aſſenſionem epilogus trium antecedentium argumentorum. Non ueterum? ut Thaletis, Heracliti, Democriti, Anaxagorae, &c. Sed eorum? ut Platonis, & Ariſtotelis. Et ſcilicet? Reſtituit factae praemunitio ex adiunctis: Tu liber es, nec ſoles aliorum opiniones curare. Non ſemper? Proſtituit Cicero plerumque ut in quaſtionibus Academicis, Natura deorum, Diuinatione Academicum eſſe, interdum uero ut hic, de omnibus ſectis ſequitur, quod ſibi commodus eſt, ad finem diſputationis ad omnes populos ſpectantis. Iſ, qui omnia recta, &c. ut Platonici, Peripaterici, Stoici, Ariſtonij. Et aut nihil omnino? ut Stoici. Aut certe nullum? ut Platonici, & Peripaterici. Si uero in Academia uetere? Platonica doctrina. Cum Speuſippo, Xenocrate, Polemone, hi in Academia Platonis gymnaſio ſucceſſerunt. Polemo eſt luxurioſoſſimus philoſophus effectus eſt. Vide Laertium. Ariſtoteles uero in Lyceo altero gymnaſio docuit, in eodemque Theophrastus, & eius ſucceſſores. Re congruentes? Ita & in l. Academ. Vna, &

& consentiens duobus uocabulis philosophiae forma instituta est Academicorum, & Peripateticorum; qui rebus congruentes nominibus differabant. ARISTONIS & Aristo Zenonis auditor fuit, de quo Cicero lib. 1. r. de Fin. Quae prima natura appetit, Aristoni, & Pyrrhoni uisa sunt pro nihilo, ut inter optime ualere, & grauis sine aegrotate nihil dicerent interesse: contra quos recte iam diu desitum est disputari. HAEC quae dixi probentur & Profitebuntur legem esse naturalem, inique non opinione hominum, sed natura constare, quoniam quod est honestum ducunt experendum per se, suaque natura, non opinione. SI BI autem indulgentes & Epicureos innuit. IN hortulis & in hortulis suis Epicurus Athenis philosophatus, eos testamento legauit sectatoribus suis: De his in Fin. sic Articus loquitur: Sum equidem multum cum Phaetro in Epicuri hortis, cuius imaginem non solum in tabulis nostris familiares, sed etiam in poculis, & anulis habent. A B omni societate reip. facessant & ne his opinionibus perturbent animos ciuium. lib. 1. de Fin. ait, Vellem equidem, aut ipse doctrinis fuisset instructior (est enim non satis politus ijs artibus, quas qui tenent, eruditi appellantur) aut ne deterruisset alios a studijs. ACADEMIAM recentem & quae res ab alijs decretas, & firmatas in utrumque partem uersabat. EGOR & ut uetus Academicus. SVBMOVBERE non audeo & improbare non audeo: potest enim disputationibus suis aliquid emendare, quod perperam affirmatum sit, sed in ijs, quae instruximus, & composuimus, cupio ut quiescat. NAM sine illius suffimentis expiati sumus & Metaphora a sacerdotibus sumpta, qui a noxijs, & fraudibus expiabant, quae poterant expiari. innuit, nihil sceleris contineri in his, quae instruxit, & composuit, sed neque indigere illius expiationibus. nam, cum ius naturale esse statuatur; nullibi possunt impij tacitum iudicium conscientiae subterfugere. QVAE quondam & ut aurea aetate, de qua Ouid. 1. Metamorph. Aurea prima fata est aetas, quae uindice nullo, Sponte sua sine lege fidem, rectumque colebat.

MULTIFARIAM & multis in locis. PRAESEPE falsa sunt & hinc quidam Leges araneorum telis perfimiles dixit. IN fabulis & In tragoedia furiae Orestem infectantur. SED angore conscientiae & Ouid. Fast. 1.

Conscia mens, ut cuique sua est, ita concipit intra

Pectora pro facto spemque metumque suo.

QVOD si homines & si ius non esset naturale, remoto supplicij metu, nullus esset impijs, conscientiae terror. QVORVM tamen & Remoto supplicij metu, tamen conscientiae terror superest impijs. QVAE si appellare, audent impij, & c. & Si, inquit, impij contententur haec iudicia a natura proficisci, quanto magis id facere debent boni? CALLIDI & Cicero lib. 1. r. de Natura deo. Versutos, inquit, appello, quorum mens celeriter uersatur: callidos autem, quorum tamquam manus opere, sic animus usu concalluit. NAM quid & Dissimilitudo insti, & incauti: NOSTER quidem & Iustus si omnes peccandi occasiones habeat, a iustitia tamen numquam discedet. Is uero & Iniustus si nil nocuerit, calliditatis causa, non iustitiae id aget. IAM uero & In eos disputat, qui ius nihil aliud esse censent, quam quod lege cautum est: ut hominum institutis, non natura constare uideatur. TRIGINTA illi Athenis & Historia est apud Iustinum lib. v. INTERREX noster & L. Flaccum intelligit, de quo in Rullum sic loquitur: Omnium legum iniquissimam, dissimillimamque legis esse arbitror eam, quam L. Flaccus interrex de Sulla tulit, ut omnia, quaecumque ille fecisset, essent rata. Etiam regibus exactis Romae dicebatur Interrex, qui, propter absentes, aut mortuos contules, nouis consulibus creandis, aut dictatori creando conuictis praecerat, ut tum L. Flaccus.

C I C E R O

QVOD si iustitia est obtemperatio scriptis legibus, institutisq. populorū; et si, ut uidem dicunt, utilitate omnia metienda sunt; negliget leges, easq. perumpet, si poterit, is, qui sibi eam rem fructuosam putabit fore. ita fit, ut nulla sit omnino iustitia, si neq. natura est, & ea, quae propter utilitatem constituitur, utilitate alia conuellitur. Atque, si natura confirmatura ius non erit, uirtutes omnes tollantur. ubi enim liberalitas; ubi patriae caritas; ubi pietas; ubi aut bene merendi de altero, aut referendae gratiae uoluntas poterit existere? nam haec nascuntur ex eo, quod natura propensi sumus ad diligendos homines; quod fundamentum iuris est. Neque solum in homines obsequia, sed etiam in deos caerimoniae, religionesq. tolluntur: quas non metu, sed ea coniunctione, quae est homini cum deo, conseruandas puto. quod si populorum iussis, si principum decretis, si sententis iudicum, iura constituerentur: ius esset latrocinari, ius adulterare, ius testamenta falsa supponere, si haec suffragijs, aut scitis multitudinis probarentur. quae si tanta potestas est stultorum sententis, atque iussis, ut eorum suffragijs rerum

natura ueriatur: cur non sanciant, ut, quae mala, perniciosaq. sunt, habeantur pro bonis, ac salutaribus; aut cur, cum ius ex iniuria lex facere possit, bonum eadem facere non possit ex malo; at qui uos legem bonam a mala nulla alia, nisi naturae, norma diuide re possumus: nec solum ius, & iniuria natura diiudicatur, sed omnino omnia honesta; ac turpia. nam & communis intelligentia nobis notas res efficit, eaq. in animis nostris inchoauit, ut honesta in uirtute ponantur, in uitijs turpia. Haec autem in opinione existimare, non in natura posita, uere dementis est. nam nec arboris, nec equi uirtus quae dicitur, in quo abutimur nomine, in opinione sita est; sed in natura, quod si ita est; honesta quoque, & turpia natura diiudicanda sunt. nam, si opinione uniuersa uirtus, eadem eius etiam partes probarentur. quis igitur prudentem, & ut ita dicam, catum non ex ipsius habitu, sed ex aliqua re externa indicet? Est enim uirtus perfecta ratio: quod certe in natura est: igitur omnis honestas eodem modo. nam, ut uera & falsa, ut consequentia & contraria sua sponte. non aliena, indicantur; sic constans, & perpetua ratio uitae, quae est uirtus,

tus,

tus, itemq. inconstantia, quod est vitium, sua natura probatur. Nos ingenia iuuenum non item ad ingenia: natura virtutes, & vitia, quae existunt ab ingenis, iudicabuntur. an ea non aliter? honesta, & turpia non ad naturam referri necesse erit? Quod laudabile bonum est, in se habeat quod laudetur necesse est. ipsum enim bonum non est in opinionibus, sed in natura: nam, ni ita esset, beati quoque opinione essent. quo quid dici potest stultius? Quare, cum & bonum, & malum natura iudicetur; & ea sint principia naturae; certe honesta quoque, & turpia simili ratione iudicanda, & ad naturam referenda sunt. Sed per turbat nos opinionum varietas, hominumq. dissensio: & quia non idem contingit in sensibus, hos natura certos putamus; illa, quae alijs sic, alijs secus, nec ipsidem semper uno modo videntur, ficta esse dicimus. quod est longe aliter. nam sensus nostros non parens, non nutrix, non magister, non poeta, non scena de-

prauat, non multitudinis consensus adducit a uero: animis omnes tenduntur insidiae, uel ab ijs, quos modo enumerati, qui teneros & rudes cum acceperunt, insciunt, & flectunt, ut uolunt; uel ab ea, quae penitus in omni sensu implicata insidet imitatrix boni uoluptas, malorum autem mater omnium; cuius blanditijs corrupti, quae natura bona sunt, quia dulcedine hac, & scabie carent, non cernimus satis. Sequitur, ut conclusa mihi iam haec sit omnis oratio, id quod ante oculos ex ijs est, quae dicta sunt, & ius, & omne honestum sua sponte esse expetendum. etenim omnes uiri boni ipsam aequitatem, & ius ipsum amant: nec est uiri boni, errare, & diligere, quod per se non sit diligendum: per se igitur ius est expetendum, & colendum. quod si ius: etiam iustitia: sic in ea reliquae quoque uirtutes per se colendae sunt.

EXPLANATIO

OBTEMPERATIO scriptis legibus? Interdum nomina regunt casus suorum uerborum, ut Reditus in gratiam: sic Obtemperatio legibus. quod ubi fiat a bonis auctoribus, obseruandum est, temere nihil innovandum. **U**T *ijdem dicunt*,? Epicureos notat, quorum duo capita comparat, & collidit, ius ab institutis ortum esse, & ab utilitate profectum: nam utilitate perumpentur leges & instituta. **A**T *QVI si*? Inductione probat uirtutes omnes tolli, si lex non sit naturalis. **Q**UOD *si populorum*? Si iustum opinione continetur, ius esset latrocinari. **A**T *QVI nos*? ex opposito concludit legem non constare opinione, quia scilicet natura constet. **N**A M *&*? Confirmatio conclusionis ex efficiente causa legis. **H**AEC *autem*? Argumentum a paribus, Si arboris, & equi uirtus natura constat, constat & hominis. **N**A M *si opinione*? Argumentum a genere ad species. **C**A T *U M*? Varro Catum acutum interpretatur. Et apud Lucilium: Cata dicta. **A**D *ingenia*? ad opiniones. **Q**UOD *laudabile*? Disputatur ex effectibus ad causam: Si bonum natura non constat, neque beatitudo. **Q**UARE? Conclusio: Bona, & mala natura constant, ergo honesta, & turpia. **S**I N T *principia naturae*? referantur ad naturam, quae inter utraque uersatur. **I**M I T *ATRIX*? quia simile quiddam habeat naturalis boni, lenitatem scilicet, & suauitatem delectans mentem aberrare facit. **S**C A *BIE*? pruritu. **S**E Q *UITUR*,? Ultimum huius disputationis caput, quo concluditur primaria quaestio. Quidquid a bonis diligitur, per se diligendum est: Ius a bonis diligitur, Est igitur per se diligendum. **Q**UOD *si ius*? Argumentum a coniugatis.

CICERO

QUOD *liberalitas*? gratuita ne est, an mercenaria? si sine praemio benigna est, gratuita; si cum mercede, conducta. nec est dubium, quin is, qui liberalis, benignus uel dicitur, officium, non fructum, sequatur. Ergo item iustitia nihil expetit praemij, nihil pretij: per se igitur expeditur. eademq. omnium uirtutum causa, atque sententia est. Atque etiam, si emolumentis, non suapte sponte, uirtus expeditur; una erit uirtus, quae malitia rectissime dicitur. ut enim quisque maxime ad suum commodum refert quaecumque agit, ita minime est uir bonus: ut, qui uirtutem praemio metiuntur, nullam uirtutem nisi malitiam putent. **U**bi enim beneficus, si nemo alterius causa benigne facit? ubi gratus, si non cum ipsum, cui referunt gratiam, ipsi cernunt grati? ubi illa sancta amicitia, si non ipse amicus per se amatur toto pectore, ut dicitur? qui etiam deserendus, & abiiciendus est, desperatis emolumentis, & fructibus. quo quid potest dici immanius? quod si amicitia per se colenda est; societas quoque hominum, & aequalitas, & iustitia per se expetenda. quod ni ita est; omnino iustitia nulla est. id enim iniustissimum

ipsum est, iustitiae mercedem quaerere. **Q**uid uero de modestia, quid de temperantia, quid de continentia, quid de uerecundia, pudore, pudicitiaq. dicemus? infamiae ne metu non esse petulantes, an legum, & iudiciorum? innocentes ergo, & uerecundi sunt, ut bene audiant; & ut rumorem bonum colligant, erubescunt pudici etiam. **A**c me nimirum istorum philosophorum pudet, qui nullum uitium uitare, nisi iudicio ipso notatum, putant. quid enim? possumus eos, qui a stupro arcentur infamiae metu, pudicos dicere, cum ipsa infamia propter rei turpitudinem consequatur? na quid aut laudari rite, aut uituperari potest, si ab eius natura recesseris, quod aut laudandum, aut uituperandum putes? an corporis prauitates, si erunt per insignes, habebunt aliquid offensionis; animi deformitas non habebit? cuius turpitudine ex ipsis uitijis facillime perspicitur potest. quid. **n**. foedius auaritia, quid immanius libidine, quid contemptius timiditate, quid abiecius tarditate, et stultitia dici potest? quid ergo? eos, qui singulis uitijis excellunt, aut etiam pluribus, propter damna, aut detrimenta, aut cruciatu aliquos, miseros dicimus.

dicimus, an propter uim, turpitudinemq. uiriorum? quod item ad contrariam laudem in uirtute dici potest. Postremo, si propter alias res uirtus expetitur; melius esse aliquid, quam uirtutem, necesse est. Pecuniam ne igitur? an honores? an formam? an ualetudinem? quae & cum adsunt, perparua sunt; & quam diu affutura sint, certum sciri nullo modo potest. An, id quod turpissimum dictum est, uoluptatem? at in ea quidem spernenda, & repudianda, uirtus uel maxime cernitur. Videtis ne, quanta series rerum, sententiarumq. sit, atque ut ex alio alia neccantur? quin labebar longius, nisi me retinuissem. Q. Quo tandem? libenter enim, frater, ad istam orationem tecum prolaberer. M. Ad finem bonorum, quo referuntur, & cuius adsciscendi causa sunt facienda omnia, controuersam rem, et plenam dissensionis inter doctissimos, sed aliquando tameniudicandam. A. Qui istud fieri potest, L. Gellio mortuo? M. Quid tandem id ad rem? A. Quia me Athenis audire ex Phaedro meo memini, Gel-

lium, familiarum tuum, cum pro consul ex praetura in Graeciam uenisset, Athenis philosophos, qui tum erant, in locum unum conuocasse, ipsiq. magnopere auctorem fuisse, ut aliquando controuersiarum aliquem facerent modum: quod si essent eo animo, ut nolent aetatem in litibus conterere, posse rem conuenire: & simul operam suam illis esse pollicitum. M. Ioculare istud quidem, Pomponi, & a multis saepe derisum: sed ego plane uellem me arbitrum inter antiquam Academiam, & Zenonem datum. At. Quo tandem istud modo? M. Quia de re una solum dissident, de ceteris mirifice congruunt. At. An tandem de una re est solum dissensio? M. Quae quidem ad rem pertineat, una: quippe cum antiqui omnes, quod secundum naturam esset, quo inuaremur in uita, bonum esse decreuerint; hic, nisi quod honestum esset, nihil putauit bonum. At. Paruam uero controuersiam dicis, ac non eam, quae dirimat omnia. M. Probe quidem sentis, si re, ac non uerbis, dissiderent.

EXPLANATIO

QVID liberalitas? Eadem disputatio continuatur inductione uirtutum, quae per se, & sua natura expetuntur, non opinione, & fructu. ERGO item? E paribus concluditur idem de reliquis uirtutibus. ATQUE etiam? Ex adiunctis argumentatur: Si uirtus fructu expetitur, malitia tantum erit, & astutia. MALITIA? Cicero lib. III. de nat. deo. Est enim malitia uersuta, & fallax nocendi ratio. Et Tusc. IV. Virtutis contraria est uitiositas: sic enim malo, quam malitiam appellare, eam, quam Graeci *κακία* appellant: nam malitia certi cuiusdam uitij nomen est, uitiositas omnium. VBI enim? Argumentum a coniugatis illustrat propositionem per inductionem partium uirtutis. SANCTA? quam uiolare nefas sit. AMICITIA? Cicero lib. I. de nat. deo. Carum ipsum uerbum est amoris, ex quo amicitiae nomen est ductum: quam si ad fructum nostrum referemus, non ad illius commoda, quem diligimus: non erit ista amicitia, sed mercatura quaedam utilitatum suarum. prata, & arua, & pecudum greges diliguntur isto modo. TOTO pectore? toto animo. QUID sit? A paribus, & adiunctis concludit iustitiam per se expetendam. QUID uero? Continuatur inductio aliarum uirtutum, quae per se expetuntur. MODESTIA? Virtus est, per quam honestus pudor moderationem conferatur. TEMPERANTIA? Virtus est, per quam moderate dominamur libidini, ac reliquis non rectis impulsibus animi. CONTINENTIA? Virtus est, per quam in uictu modeste dominamur appetitui. VERECUNDIA? Virtus est, per quam ueremur homines offendere. PUDOR? Virtus est, per quam timemus dedecus, & ruborem afferri. PUDICITIA? Virtus est, per quam corporis abusus non permittitur. PETULANTES? Vitium est, superioribus omnibus uirtutibus oppositum. INNOCENTES? Virtus est, per quam nemini nocemus, & ab alieno abstinemus manus. NULLVM? neminem. IUDICIO ipso? ipsa lege scripta. PERINSIGNES? ualde notabiles. ANIMI deformitas? Collatio minoris ad maiorem. AD contrariam laudem? nam beati uirtutis laude beati, sicut miseri uitij, turpitudine miseri sunt. SI propter alias res? Ex adiunctis disseditur, uirtutem non ob aliud expeti. VIDETIS ne,? Ex fine bonorum, qui secundum naturam est, concludit, legem, quia sibi proponit doctrinam summi boni, esse secundum naturam. PLENAM dissensionis? Nam ista de finibus dissensio sectas philosophorum potissimum distinxit. L. GELLIO? Orator erat hic Gellius, ut est in Bruto: & Ciceroni ciuicam coronam debere a repub. dixit, ut est in Pisonem. Sed, & pro Sextio a Cicerone uir clarissimus, & fortissimus consul dicitur. Meminit & huius Phitarchus in Cicerone. Ex Phaedro meo? Epicureus fuit hic Phaedrus, de quo Cicero lib. I. de Fin. Nisi tu Phaedrum, inquam, mentitum, aut Zenonem putas, quorum utrumque audiui &c. PROCONSUL? cum imperio consulari. AVCTOREM? hortatorem, suadorem. POLLICITVM? Foedum glollemam sequebatur in omnibus libris: Si posset inter eos aliquid conuenire: quod scriptus liber non habet, nec omnino sententia postulat: itaque deleuimus. Haec Paullus pater. QUA de re una? de summo bono. quod enim Zeno solum summum bonum, Academia summum quidem bonum, sed non solum, aiebat esse. QUIPPE cum? Dissensio in definitione boni. PERPARVAM uero? id est, neque patuam, & eam, quae dirimat omnia.

C I C E R O

A ERGO assentiris Antiocho, familiari meo, (magistro enim, non audeo dicere) quo cum uixi, & qui me ex nostris paene conuellit hortulis, deduxitq. in Academiam perpauculis passibus. *M. Vir iste fuit ille quidem prudens, & acutus, & in suo genere perfectus, mihiq. ut scis, familiaris: cui tamen ego assentiar in omnibus, nec ne, mox uidero: hoc dico, controuersiam totam istam posse sedari. A. Qui istuc tandem uides? M. Quia si, ut Chius Aristoteles dixit, solum bonum esse diceret, quod honestum esset; malumque, quod turpe; ceteras res omnes plane pares, ac ne minimum quidem, utrum adessent, an abessent, interesse: ualde a Xenocrate, & Aristotele, & ab illa Platonis familia discreparet; essetq. inter eos de re maxima, & de omni uiuendi ratione dissensio: nunc uero, cum decus, quod antiqui summum bonum esse dixerant, hic solum; bonum dicat; itemq. dedecus illi summum malum, hic solum, diuitias, ualetudinem, pulchritudinem, commodas res appellet, non bonas; paupertatem, debilitatem, dolorem, incommodas, non malas: sentit idem, quod Xenocrates, quod Aristoteles, loquitur alio modo. Ex hac autem non rerum, sed uerborum discordia, controuersia nata est de finibus: in qua, quoniam usucapionem XII. tabulae intra quinque pedes esse noluerunt, depasci ueterem possessionem Academiae ab hoc acuto homine non sinemus; nec Mamilia lege*

ge singuli, sed nos tres arbitri fines rogemus. Q. Quamnam igitur sententiam dicimus? M. Requiritur placere terminos, quos Socrates pegerit, ijsq. parere. Q. Praeclare, frater; iam nunc a te uerba usurpantur ciuilibus iuris, & legum: quo de genere expecto disputationem tuam. nam ista quidem magna indicatio est, ut ex te ipso saepe cognoui. & certe ita res se habent, ut, ex natura uiuere, summum bonum sit, id est, uita modica, & apta, uirtute perfrui, aut naturam sequi, & eius quasi lege uiuere, id est, nihil, quantum in ipso sit, praetermittere, quo minus ea, quae natura postulet, consequatur; quod inter haec uelit uirtute tamquam lege uiuere. quapropter hoc dijudicari, nescio an unquam, sed hoc sermone certe non potest: siquidem id, quod suscepimus, perfecturi sumus. A. At ego, huc declinabam, nec inuicis. Q. Licebit alias: nunc id agamus, quod coepimus, cum praesertim ad id nihil pertineat haec de summo malo, bonoq. dissensio. M. Prudentissime, Quinte, dicis. nam, quae a me adhuc dicta sunt,

Q. Nec Lycurgi leges, neque Solonis, neque Charondae, neque Zaleuci, nec nostras XII. tabulas, nec plebiscita desidero: sed te existimo cum populis, tum etiam singulis hodierno sermone legem uiuendi, & disciplinam daturum esse.

EXPLANATIO

E R G O assentiris? Significat huius conciliationis auctorem fuisse Antiochum, qui, ut est primo de Natu. deo. librum edidit de hac conciliatione. **N O N audeo** propter Epicureos. **H O R T U L I S**, Metonymia est, pro secta Epicurea. **P E R P A U C U L I S p a s s i b u s** uel minimis disputationibus. **V I R iste fuit** Sic Antiochus in Lucullo laudatur; Antiochus me ualde mouet, uel quod amari hominem, sicut ille me, uel quod ita iudico politissimum, & acutissimum nostrae memoriae philosophorum omnium. **N U N C uero** Declaratur consensus rerum in bonis corporis, & fortunae. **Q U O N I A M usucapionem** locus ex ambiguo de finibus agrorum, & bonorum. Vi enim per arbitros reguntur fines agrorum spatio quinque pedum, quod usucapi non possit, & terminis per ueterem possessorem, a quo pacti sunt demonstratis: sic per nos arbitros constituantur bonorum, & malorum definitiones differentia a uererbis lata, & posita. **D E P A S C I** usucapi. **A C U T O homine** Periphrasis est Zenonis Stoici. **N E C Mamilia lege singuli, sed nos tres arbitri fines rogemus.** Pro, Nos, antiqui libri habent, Ex ijs, mendose, sed unde tamen elici ueritas possit, nam a Cicerone scriptum, E XII, suspicari licet: ut de XII. tabulis intelligatur. **P R A E C L A R E, frater** Ad dialogi decorum collaudatur Cicero sicut ante, his uerbis, Alte uero, & ut oportet a capite frater repetis, quod quaerimus. **I T A res se habent,** hi sunt termini, quos Socrates pegerit. **I N T E R haec** quae natura postulat. **S I Q U I D E M id,** onus nimirum ostendendi terminos. **N E C Lycurgi leges,** Lycurgus Lacedaemonijs, Solon Atheniensibus leges tulerunt, eaq. Graecorum legislatorum praecipua lumina fuerunt. De ijs Plutarchus, in eorum uitis. Charondas Tyrius Catanensis leges tulit, & Zaleucus Locrensis Zephyrijs Italiae populis. De ijs Valerius lib. VI. capit. 5. **P L E B I S C I T A** Linius lib. III. De lege Horatia, omnium primum cum ueluti in controuersioire esset, tenerentur ne patres plebiscitis, legem centuriatis comitijs tulere, ut, quod tribuni plebis iussissent, populus teneret.

C I C E R O

M EST huius uero disputationis, Quinte, proprium id, quod expectas, atque utinam esset etiam facultatis meae: sed profecto ita se res habet, ut, quoniam uirtutum emendatricem legem

esse oportet, commendatricemq. uirtutum, ab ea uiuendi doctrina ducatur. ita fit mater bonarum omnium rerum sapientia: a cuius amore, Graeco uerbo, philosophia nomen inuenit: qua nihil a dijs immorta-

immortalibus uberius, nihil florentius, nihil praestabilius hominum uitae datum est. haec enim una nos cum ceteras res omnes, tum, quod est difficillimum, docuit, ut nosmet ipsos nosceremus. cuius praecepti tanta uis, tanta sententia est, ut ea non homini cuiquam, sed Delphico deo tribueretur. nam, qui se ipse norit, primum aliquid se habere sentiet diuinum; ingeniumq. in se suum, sicut simulacrum aliquod, dedicatum putabit; tantoq. munere deorum semper dignum aliquid & faciet, & sentiet; & cum se ipse perspexerit, totumq. tentarit, intelliget quemadmodum a natura subornatus in uitam uenerit, quantaq. instrumenta habeat ad obtinendam, adipiscendamq. sapientiam; quoniam principio, rerum omnium quasi adumbratas intelligentias animo, ac mente conceperit; quibus illustratis sapientia duce, bonum uirum, & ob eam ipsam causam cernat se beatum fore. nam, cum animus, cognitio perceptisq. uirtutibus, a corporis obsequio, indulgentiaq. disceserit, uoluptatemque, sicut labem aliquam decoris, opprederit; omnemq. mortis, dolorisq. timorem effugerit; societatemq. caritatis coierit cum suis; omnesq. natura coniunctos suos duxerit; cultumq. deorum, & puram religionem susceperit; & exacerit illam, ut oculorum, sic ingenij aciem ad bona deligenda, & reicienda contraria; quae uirtus ex prouidendo est appellata prudentia: quid eo dici, aut cogitari poterit beatius? idemq. cum caelum, terras, maria, rerumq. omnium naturam perspexerit; eaque unde generata, quo reditura, quando, quo modo obitura, quid in ijs mortale, & caducum, quid diuinum, aeternumq. sit, uiderit; ipsumq. ea moderantem, & regentem paene prehenderit; seseq. non unis circum-

datum moenibus popularem alicuius definiti loci, sed ciuem totius mundi, quasi unius urbis agnouerit: in hac ille magnificentia rerum, atque in hoc conspectu, & cognitione naturae, dii immortales, quam se ipse noscet, quod Apollo praecepit Pythius; quam contemnet, quam despiciet, quam pro nihilo putabit ea, quae uulgo dicuntur amplissima. Atque haec omnia, quasi saepimento aliquo, uallabit differendi ratione, ueri, & falsi iudicandi scientia, & arte quadam intelligendi, quid quamque rem sequatur, & quid sit cuique contrarium. cumq. se ad ciuilem societatem natum senserit; non solum illa subtili disputatione sibi utendum putabit, sed etiam fusa latius perpetua oratione, qua regat populos, qua stabiliat leges, qua castiget improbos, qua tueatur bonos, qua laudet claros uiros, qua praecepta salutis, & laudis aperte ad persuadendum edat suis ciuibus, qua hortari ad decus, reuocare a flagitio, consolari possit afflictos, factaque, & consulta fortium, & sapientum cum improborum ignominia sempiternis monumentis prodere. quae cum tot res, tantaq. sint, quae in homine inesse perspicantur ab ijs, qui se ipsi uelint nosse; earum parens est, educatrixq. sapientia. Att. Laudata quidem a te grauius, & uere: sed quorsus haec pertinent? N. Primum ad ea, Pomponi, de quibus acturi iam sumus: quae tanta esse uolumus. non enim erunt, nisi ea fuerint, unde illa manant, amplissima. deinde facio & libenter, & ut spero, recte, quod eam, cuius studio teneor, quaeq. me, quicumque sum, effecit, non possum silentio praeterire. A. Enimuero facis & merito, & ipse; fuitq. id, ut dicis, in hoc sermone faciendum.

EXPLANATIO

VITIORVM emendatricem &c. Duo propria legis officia, emendatio uitiorum, & commendatio uirtutum. **F**IT mater sapientia; Ab ea enim proficitur lex uitiorum emendatrix, & uirtutum commendatrix. **Q**UA nihil; E Timaeo Platonis, id acceptum est, quod de oculis loquitur: Εξ ὧν ἐπορεύθη φιλοσοφία γένος, ὃν μείζον ἀγαθὸν οὐτ' ἴκθεν, οὐδ' ἡξεί ποτὲ τῶν ὀφθαλμῶν γένοιτο δαρτηρὸν ἐκ θεῶν: Equibus philosophiam adepti sumus, quo bono maius nec accedit, nec accidet umquam mortalium generi donatum a dijs. Idem Cicero Tusc. I. Philosophia uero omnium mater artium, quid est aliud, nisi, ut Plato ait, donum; ut ego, inuentum deorum? **S**ED Delphico deo; Sapientum sententiae Delphis in Apollinis templo sculpebantur, & tamquam oracula deo attribuebantur. Tres autem sententias Chilo Lacedaemonius Delphis conseruauit, (ut est apud Plinium lib. VI I.) quae sunt: Nosse se quemque: Nihil nimium cupere: Comitem aeris alieni, atque litis, esse miseriam. **N**AM, qui se ipsum; Delphici oraculi uis declaratur. **I**NGENIUM; Animum. **I**N se; in corpore. **S**ICUT simulacrum; Plato in Phaedone, & in Theaeteto docet hominem esse dei similitudinem, & beatum fore, cum recuperarit suae similitudinis exemplar. **T**ANTO munere; animo scilicet, qui ingentus est corpori. **S**UBORNATUS; adumbratus. In malam partem accipimus, cum subornatos testes audimus. **V**ENERIT; descendit. **Q**UONIAM principio; Quoniam, dixit, ut causam afferret, cur dixisset, A natura subornatus. **Q**UIBUS illustratis; Quibus intelligentijs in lucem positis. **N**AM, cum animus; Inductio trium philosophiae partium, nimirum Ethicae, Physicae, & Dialecticae, quas percepiimus e primis intelligentijs a natura illustratis. **S**OCIETATEMQUE caritatis; Putari se caritate, & amicitia cum hominibus coniunctum. **E**x prouidendo; Notatione sui nominis prudentia definitur, sicut antea lex a legendo. **V**ND E generata; In elementis, & inde compositis comprehenditur Physica. **Q**UOD in ijs mortale; Plato praeter deum animosque tum stellarum, tum hominum, nil aeternum facit: mundum enim creatum docet, & ita compactum, ut dissolui quidem non possit, nisi ab eo, qui colligauit, ut est in Timaeo. **I**PSVMQUE; Periphrasis est summi dei. **S**ESEQUE; Stoicorum sententia est, de qua etiam in Academicis. **I**N hac ille; statuit Apollinis oraculum expleri cognitione Physica. **Q**UAS I saepimento; Aa Sumpsit



I N

M. TVLLII. CICERONIS
DE LEGIBVS

LIBRVM . II.

Commentarius Aldi Mannuccij.



CICERO



Sed uis ne, quoniam & satis iam ambulatum est, & tibi aliud dicendum initium sumendum est, locum mutemus, & in insula, quae est in Fibreno, (nam id opinor illi alteri flumini nomen esse) sermoni reliquo de-
 mus operam sedentes? M. Sane quidem. nam illo loco libentissime soleo uti, siue quid mecum ipse cogito, siue aliquid scribo, aut lego. Att. Equidem, qui nunc primum huc uenerim, satiari non queo; magnificaq. uillas, & pauimenta marmorea, & laqueata tecta contemno. ductus uero aquarum, quos isti nilos, & euripos uocant, quis non, cum haec uideat, irriserit? itaque, ut tu paullo ante, de lege, & de iure differens, ad naturam referebas omnia: sic in his ipsis rebus, quae ad quietem animi, delectationemq. quaeruntur, natura dominatur. quare antea mirabar, (nihil. n. his in locis, nisi saxa, et montes, cogitabam: idq. ut facerem, & orationibus inducebar tuis, & uersibus) sed mirabar, ut dixi, te tam ualde hoc loco delectari: nunc contra miror, te, cum Roma absis, usquam potius esse. M. Ego uero, cum licet plures dies abesse, praesertim hoc tempore anni, & amoenitatem, & salubritatem hanc sequor. raro autem licet. sed nimirum me alia quoque causa delectat, quae te non attingit ita. Att. Quae tandem ista causa est? M. Quia, si uerum dicimus, haec est mea, & huius fratris mei germana patria. hinc enim orti stirpe antiquissima sumus: hic gens, hic sacra, hic maiorum multa uestigia, quid plura? hanc uides uillam, ut nunc quidem est, laetius aedificatam patris nostri studio: qui, cum esset in firma ualetudine, hic fere aetatem egit in litteris: sed hoc ipso in loco, cum auius uiueret, & antiquo

more parua esset uilla, ut illa Curiana in Sabinis, me scito esse natum. quare inest nescio quid, et latet in animo, ac sensu meo, quo me plus hic locus fortasse delectet: si quidem etiam ille sapientissimus uir, Itacam ut uideret, immortalitatem scribitur repudiasset. Att. Ego uero tibi istam iustam causam puto, cur huc libentius uenias, atque hunc locum diligas. quin ipse, uere dicam, sum ipsi uillae amicitior modo factus, atque huic omni solo, in quo tu ortus, & procreatus es. mouemur enim, nescio quo pacto, locis ipsis, in quibus eorum, quos diligimus, aut admiramur, adsunt uestigia. me quidem ipsae illae nostrae Athenae non tam operibus magnificis, exquisitisq. antiquorum artibus delectant, quam recordatione summorum uirorum, ubi quisque habitare, ubi sedere, ubi disputare sit solitus: studiosq. eorum etiam sepulcra contemplor. quare istum, ubi tu es natus, plus amabo posthac locum. M. Gaudeo igitur me incunabula paene mea tibi ostendisse. Att. Et quidem, me cognosce, admodum gaudeo. sed illud tamen quale est, quod paullo ante dixisti, hunc locum (idem ego te accipio dicere Arpinum) germanam patriam esse uestram? num quid uos duas habetis patrias? an ne est una illa patria communis? nisi forte sapienti illi Catoni fuit patria non Roma, sed Tusculum. M. Ego mehercule & illi, et omnibus municipibus duas esse censeo patrias, unam naturae, alteram ciuitatis: ut ille Cato, cum esset Tusculi natus, in populi R. ciuitatem susceptus est. ita, cum ortu Tusculanus esset, ciuitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram iuris: ut uestri Attici, prius quam Theseus eos demigrare ex agris, & in asinum, quod appellatur, omnes conferre se iussit, & Sunij erant idem, & Attici: sic nos & eam patriam dicimus, ubi nati & illam, qua excepti sumus, sed necesse est caritate eam praestare, qua reip. nomen uniuersae ciuitatis est: pro qua mori, & cui nos